

bandum. Secundo intendunt, nostras rationes hypotheticæ, non absolute, procedere; nimirum quod hunc faciant sensum: Ens necessarium si daretur, deberet necessario existere; at non probant absolute, quod datur. Tertio asserunt, quod nos ut plurimum supponimus id, quod debemus probare. Asumimus ens perfectissimum, & tamen hoc ens probare oporteret. Athei enim, qui Deum negant, negant etiam hujus entis perfectissimi ideam. Nos vero hanc ideam non probamus, sed supponimus; quod potissimum contra Cartesium cum P. Saguens plerique inculcant.

Respondemus ad I., majorem utique esse perfectionem existentiam realem, & objectivam, quam formalem tantum. Ergo si hujusmodi enti perfectissimo ideo existentiam vindicamus, quia ens perfectissimum est, debemus etiam eidem existentiam vindicare, quæ sit perfectior, adeoque existentiam in re, realem scilicet, & objectivam. Ulterius, dum dicunt, colligi per demonstrationes nostras existentiam formalem, quærimus, vel hæc formalis existentia potest esse realis, vel non potest esse? Si potest esse realis? Non est assignabile, a quo prohibeatur, ne sit. Si non potest esse realis? ergo non erit existentia formalis, nisi quatenus concipitur chimera aliqua sub Dei existentis nomine. Concipere autem existentiam, etiam formalem, chimerae qua chimerae implicat; quia chimera nec est, nec potest esse. Non implicat vero concipere existentiam saltem formalem Dei. Ergo, si quia chimerae implicat existentia formalis, convenire non potest existentia realis, & objectiva; quia Deo existentia formalis non implicat, hoc ipso quod de Deo existentia formalis probatur, probatur etiam realis, & objectiva. Tandem ente illo necessario, cui solum formaliter conveniret existere, posset aliquod ens perfectius cogitari; ens scilicet, cui non solum formaliter, sed etiam realiter, existere conveniret. Ergo hoc ens, & non illud, esset Deus.

Ad II. dicimus, supponere nos existentiam formalem, ex qua postea realem deducimus. Male autem Adversarii rationes nostras explicant dicendo; Ens necessarium, si daretur, esset existens. Quid enim amplius importat *To* existens supra *To* daretur? Si dicis, nihil importare? Ergo non redditur sensus, quem exponis. Si ais, per *To* daretur importari possibilitatem, seu non repugnantiam, vel existentiam formalem, realem vero per *To* esset existens?

Hoc pariter nos ipsi intendimus, & quidem rationabiliter intendimus, quia possumus ex una existentia alteram inferre; hoc est ex existentia formali, ex possibilitate, ex non repugnantia, deducere existentiam realem, & objectivam. Et hoc pacto hypotheticæ quidem procedimus, sed absolute inferimus; quod in veris etiam demonstrationibus nemo est, qui reprobet.

Ad III. concedimus, nos supponere quidem existentiam formalem, sed ulterius probare realem, quæ ex illa potest optime, & legitime, inferri. Unde quando nos dicimus: Ens necessarium debet necessario importare existentiam; & Adversarii respondent distinguendo; si datur, concedunt; si non datur, negant: improprie quidem respondent. Dicendo enim, ens necessarium si non datur, hoc ipso ideam entis necessarii destruant. Non possunt proinde hanc distinctionem facere in ente necessario, at ipsum tenentur concedere absolute omni existentia præditum. Sed ajunt: Dum Athei tenent, Deum chimera esse, nonne tenent etiam ens necessarium esse chimera? Ergo bene potest dici; ens necessarium, si datur. At contra. Athei enim hoc dicunt, sed nequam concipiunt. Lingua quidem effutunt, sed mente non intelligunt, quod effutunt. Ubi enim reperient ipsi prædicata contradictoria in hoc conceptu entis necessarii; & assignent, quam sint? Forsan prædicatum entis, & prædicatum necessarii? Sed in quo incompatibilia sunt hujusmodi prædicata? Sunt compatible prædicata operationis, & necessaria; quum dentur operationes necessariae, prout a liberis contradistinctæ; & repugnantia erunt prædicata entis, & necessarii? Ens profecto non solum a necessario non destruitur, sed concreatur; & concreatur quidem modo perfectiori, & digniori, quia nobilior, & perfectior, est ens necessarium, quam contingens. Et necessarium dicimus quidem in essendo, quatenus non potest non esse; quod Atheis, nec mirum, nec novum videri debet, quum ipsi hoc ens necessarium negantes, admittunt postea mundum ab æterno, & res ex necessitate productas, quæ omnia prædicatum necessarii cum ente important, sed quod ab ipsis est factum, non vero quod a ratione, a creaturis, ab omnibus hominibus, est conclamatum.

Si denique Adversarii nos impellant, dicentes, quod medium, per quod aliquid demonstratur, debet esse aliquo modo prius ipso, quod demonstratur: Nullo autem